Annus XIX - Vol. XIX 2 Martii 1927 Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutio Apostolica, p. 81 - Litterae Apostolicae, p. 85 - Epistolae, p. 90.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* I. Vapicen. Erectio Dignitatis, p. 97. II. Provisio Ecclesiarum, p. 98 - *S. C. Concilii:* Decretum de sacerdotibus magistris, p. 99 - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Provisio Ecclesiae, p. 101. II. Nominationes, p. 101 - *S. C. Rituum:* I. Toletana. Decretum introductionis Causae S. D. Mariae a Iesu O. C. E., p. 102. II. Romana. Decretum reassumptionis Causae B. Luciae Filippini, p. 105. III. Veronen. Decretum de virtutibus Ven. Magdalenae de Canossa, p. 107. IV. Decretum approbationis novae appendicis Coll. Auth., p. 109.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Citationes edictales. I. Parisien. Giusti. II. Varsavien. Wielimborek, p. 110.

Diarium Romanae Curiae: Comunicato - S. C. dei Riti: Congregazioni Generale e Antipreparatoria - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, p. 112-120.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 3 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 3 - 2 Martii 1927)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

Quum in dies. - Dismembrationis et erectionis provinciae ecclesiasticae Curitybensis in Brasilia. - *10 Maii 1926* 81

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Cum Nobis.* - Ex dismembratione vicariatus apostolici de Taynanfu erigitur in Sinis praefectura apostolica de Shohchow. - *12 Iulii 1926* 85

II. *Potiora inter.* - Sanctuarium B. M. V. a Victoria, in civitate de Lackawanna dioecesis Buffalensis intra fines, Basilicae minoris titulo et privilegiis augetur. - *20 Iulii 1926* 86

III. *Ut, aucto.* - Distracto territorio e vicariatu apostolico Nankinensi erigitur vicariatus apostolicus de Haimen in Sinis, clero indigenae committendus. - *11 Augusti 1926* 88

IV. *Divinitus nobis.* - Erectio vicariatus apostolici de Cyrenaica, et immutatio nominis vicariatus Lybiae. - *3 Febr. 1927* . 89

EPISTOLAE

I. *Quam Germanica mulierum.* - Ad Em̃um P. D. Carolum Iosephum tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Card. Schulte, Archiepiscopum Coloniensem: de opera et studio Germanicae mulierum Societatis. - *26 Novembris 1926* 90

II. *Commisso Nobis.* - Ad Em̃um P. D. Ioachimum tit. SS. Bonifacii et Alexii S. R. E. Presb. Card. Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, ceterosque Brasiliae Archiepiscopos et Episcopos: de visitatione apostolica nuper in Brasilia peracta. - *20 Ianuarii 1927* 91

III. *Quod S. Cyrillum.* - Ad RR. PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos tum Regni Serborum-Croatorum-Slovenorum tum Reipublicae Cecho-Slovacae: de Sanctis Cyrillo et Methodio, earum gentium apostolis, commemorandis. - *13 Febr. 1927* 93

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Vapicensis.* - Decretum erectionis Dignitatis in cathedrali Capitulo. - *11 Februarii 1927* 97

II. Provisio Ecclesiarum 98

S. CONGREGATIO CONCILII

PAG.

Decretum de sacerdotibus magisterii munus gerentibus in publicis scholis. - *22 Februarii 1927* 99

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiae 101

II. Nominationes 101

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Toletana.* - Decretum super introductione causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Sor. Maria a Iesu, monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum. - *10 Decembris 1926* 102

II. *Romana seu Faliscodunen.* - Decretum super reassumptione causae canonizationis Beatae Luciae Filippini, Virginis, Fundatricis atque antistitae Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum. - *22 Decembris 1926* . 105

III. *Veronen.* - Decretum super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae Marchionissae de Canossa, Fundatricis Instituti Filiarum a Caritate. - *6 Ianuarii 1927* . 107

IV. *Urbis et Orbis.* - Decretum praefixum volumini VII, seu appendici II (ab an. 1912 num. 4285 usque ad an. 1926 num. 4404, cum suo indice generali) operis cui titulus: «Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata». - *26 Ianuarii 1927* 109

ACTA TRIBUNALIUM

S. ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Parisien.* - Nullitatis matrimonii (Bertier-Giusti). - *12 Februarii 1927* . . 110

II. *Varsavien.* - Nullitatis matrimonii (Muras-Wielimborek). - *14 Febr. 1927* . . 111

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Comunicato 112

II. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Generale* e *Antipreparatoria* 112

III. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 113

IV. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 118

V. Necrologio 120

Annus XIX - Vol. XIX 2 Martii 1927 Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CURITYBENSIS DE PARANA

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quum in dies numerus christifidelium crescat, opportunum est provincias ecclesiasticas exsistentes dividere ac novas dioeceses erigere, ut Praesules illis praepositi gregem dominicum aptius pascere et regere queant.

Curitybensis dioecesis, quae universum statum de Parana in Brasilia complectitur, tam late numero fidelium et territorii extensione patet, ut opportunum remedium requirat, quo plenius tutiusque bono animarum regimini consulatur.

Quae probe considerantes, concurrentibus in consilio dismembrationis venerabilibus fratribus hodiernis Episcopo Curitybensi, Archiepiscopo Metropolitano S. Pauli et ipso Apostolico Nuntio in Brasilia, de consulto venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis et suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant consensu, prae oculis etiam habentes quae in Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad universas orbis Ecclesias* diei vigesimae septimae mensis Aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi secundi, Apostolicae Sedi hac de re reservata fuerunt: quae sequuntur perpetuum in modum de Apostolicae potestatis plenitudine decernere statuimus.

Imprimis hodiernam Curitybensem dioecesim a metropolitico iure archidioecesis S. Pauli in Brasilia, cui tamquam sedes suffraganea ipsa hucusque subiecta erat, subtrahimus et eximimus eamque ita exemptam declaramus. Dein universum territorium, ad eamdem dioecesim Curitybensem et statum de Parana spectans, in quatuor distinctas partes dividimus, in quarum una ipsam dioecesim Curitybensem circumscribimus atque coarctamus, quae autem ad archidioecesis gradum erit, inferius, extollenda: in ceteris vero tribus partibus ex novo erigimus dioeceses *de Ponta Grossa* atque *de Jacarézinho*, necnon Praelaturam nullius dioeceseos *de Fóz de Iguassú*. Quarum fines iidem erunt ac fines parochiarum quae ipsis, ut infra, assignantur et attribuuntur. Dioecesis nempe Curitybensis limitibus circumscripta remanet ad undetriginta dumtaxat parochias quae vulgo ita veniunt, scilicet: *Corityba*, *Abranches*, *Agua Branca*, *Antonina*, *Araucaria*, *Assunguy de Cima*, *Bocayuva*, *Campo Largo*, *Colombo*, *Contenda*, *Lapa*, *Morretes*, *Muricy*, *Orleans*, *Palmeira*, *Paranaguá*, *São Joâo Triumpho*, *São José dos Pinhaes*, *São Matheus*, *Santa Candida*, *Santa Felicidade*, *Piraquara*, *Rio Negro*, *Rondinha*, *Serro Azul*, *Tamandaré*, *Thomaz Coelho*, *Umbará*, *Votuverava*.

Nova dioecesis « de Ponta Grossa » intra ambitum continebitur duodecim item parochiarum, quae sic appellantur: *Ponta Grossa*, *Castro*, *Cruz Machado*, *Guarapuava*, *Imbituva*, *Ipiranga*, *Ivahy*, *Palmas*, *Prudentopolis*, *Rio Claro*, *Tibagy*, *União da Victoria*.

Altera nova dioecesis « de Jacarézinho » harum complectetur octo parochiarum territorium, idest: *Jacarézinho*, *Barbozas*, *Colonia Mineira*, *Jaguariahyva*, *Pirahy*, *Ribeirão Claro*, *São Iosé da Boa Vista*, *Thomazina*.

Denique praelatura nullius dioeceseos « de Fóz de Iguassú » una tantummodo eiusdemque nominis parochia constabit.

Praeterea sedem et cathedram dioecesium de Ponta Grossa et de Jacarézinho respective in civitatibus vulgo *Ponta Grossa* et *Jacarézinho*, e quibus illae nomen mutuantur, perpetuo constituimus; quas idcirco ad civitatum episcopalium fastigium evehimus una cum omnibus iuribus ac privilegiis quibus ceterae civitates episcopales in America Latina fruuntur et gaudent. Ecclesias autem Sanctae Annae matri B. Virginis Mariae in urbe *Ponta Grossa*, et Beatae Mariae Virgini absque originali labe conceptae et Sancto Sebastiano in urbe *Jacarézinho* dicatas, sub iisdem invocationibus et titulis exstituras, respective ad cathedralium dignitatem extollimus, simulque eis earumque Antistitibus tribuimus honores, insignia, favores, gratias, privilegia et iura quibus ceterae cathedrales Ecclesiae ac ipsarum Praesules in America Latina ex iure communi vel legitima consuetudine pollent. Quod vero attinet ad harum dioecesium regimen et

administrationem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt. Quod autem ad clerum in particulari spectat, statuimus ut simul ac dioecesium erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri censeantur adscripti Ecclesiae illi in cuius territorio legitime exstant.

Quum autem temporum adiuncta prohibeant quominus in praesenti in his dioecesibus canonicorum Capitulum instituatur, iubemus, loco canonicorum, dioecesanos Consultores ad normam canonis 423 et sequentium Codicis iuris canonici eligi.

Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit, saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta eiusdem Codicis decreta ac Sacrae Congregationis de Seminariis normas, erigatur.

Quoad vero praelaturam « de Fóz de Iguassú » decernimus ut eadem, ad omnes iuris effectus, sit proprie ac vere nullius dioeceseos, usquedum de ea aliter disponere opportunum visum fuerit. Eiusdemque simul praelaturae sedem constituimus in urbe vulgo « Fóz de Iguassú » cuius parochialem ecclesiam, sub titulo et invocatione S. Ioannis Baptistae, in ecclesiam praelatitiam erigimus, cum omnibus iuribus ac privilegiis, quae ceteris civitatibus et ecclesiis episcopalibus earumque civibus in Brasiliana ditione competunt. In eadem ecclesia instituimus sedem et dignitatem praelatitiam, ad instar episcopalis dignitatis, pro uno Praelato nullius dioeceseos, qui ipsi Ecclesiae ac praelaturae praesit cum iuribus, officiis, mensa, honoribus ac privilegiis quibus Ecclesiarum Praesules in Brasiliis utuntur et gaudent, iis dumtaxat exceptis, quae ex peculiari indulto, vel ex iure ad Episcopos tantum pertinent. Ut autem Praelatus omnia munera sua explere possit, quae Episcopi in suis dioecesibus, statuimus ut Praelatus ipse charactere ac dignitate episcopali sit insignitus, iubentes propterea ut ipsi, una cum Praelatura, titulus episcopalis conferatur.

Praeterea quae in Apostolicis memoratis Litteris diei vigesimae septimae mensis Aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi secundi constituenda disponuntur de novarum dioecesium in Brasiliana Republica honoribus, privilegiis et indultis, de novorum Episcoporum potestate et attributionibus, de Capituli institutione ac Seminarii regimine et administratione, de ipsorum denique christifidelium et clericorum iuribus et muniis, aliisque id genus, omnia congrua congruis referendo, religiose sarctis tectis dispositionibus Codicis iuris canonici et decretis Concilii Plenarii Americae Latinae, quoad novam praelaturam erunt servanda.

Statuimus demum ut ipsarum novarum dioecesium « de Ponta Grossa » et « de Jacarézinho » sumptibus necnon praelaturae « de Foz de Iguassú »

bini delecti iuvenes, aut saltem singuli in praesenti, in Pontificium Seminarium Pium Latinum Americanum de Urbe, non intermissa vice, mittantur.

Omnia vero documenta, iura et acta praefatas novas ecclesiasticas circumscriptiones earumque clericos ac fideles respicientia, quamprimum fieri poterit a cancellaria antiquae dioecesis Curitybensis tradantur respective cancellariis novarum dioecesium ac praelaturae, ad hoc ut in propriis archivis reponantur ac religiose serventur.

Episcopalem et praelatitiam mensam ipsarum novarum circumscriptionum constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum novae sedes erectae sunt, praeberi solent praeter ea, quae ad hoc iam, ipsa civili auctoritate praeeunte, collecta sunt.

Quoniam vero Curitybensis dioecesis complectitur ipsam Gubernii civilis principem urbem, de eadem Apostolica auctoritate itemque suppleto quorumcumque interesse habentium consensu, eandem dioecesim, uti supra limitibus circumscriptam, ad metropolitanae sedis fastigium et dignitatem, una simul cum eius quandocumque erigendo Capitulo canonicorum, idcirco metropolitano denominando, perpetuo evehimus et extollimus. Cuius praeterea archidioecesis Curitybensis eiusque Archiepiscopi metropolitico iuri, obnoxias, seu suffraganeas sedes, subiicimus memoratas dioeceses « de Ponta Grossa » et « de Jacarézinho » necnon praelaturam nullius dioecesis « de Fóz de Iguassú » reservata tamen Nobis et Apostolicae Sedi facultate libere novam ineundi in huiusmodi ecclesiastica provincia dismembrationem et circumscriptionem, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit. Item Archiepiscopis pro tempore Curitybensibus, post postulationem rite faciendam in Consistorio, concedimus usum Pallii et Crucis ante se ferendae iuxta aliorum Archiepiscoporum morem et sacrorum canonum praescripta atque intra propriae Provinciae fines; itemque alia omnia archiepiscopalia insignia, privilegia, honores et iura, quibus ceterae archiepiscopales Ecclesiae in America earumque Praesules vi iuris communis legitimaeque consuetudinis fruuntur et gaudent.

Et venerabilem fratrem Ioannem Braga, qui actu Curitybensem sedem obtinet, Archiepiscopi titulo, dignitate, iuribus ac privilegiis ut supra, per praesentes Litteras augemus.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Leopoldum Duarte Silva, hodiernum Archiepiscopum S. Pauli in Brasilia,

eique necessarias huic negotio facultates tribuimus, etiam subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate vel oppositione in exsecutionis actu oritura, imposito onere ad Sacram Congregationem Consistorialem infra sex menses fidem, authentica forma exaratam, absolutae exsecutionis huius Nostri mandati transmittendi. Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet peculiari et expressa mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimi nongentesimi vigesimi sexti die decima mensis Maii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Ioannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIV, n. 46.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

EX DISMEMBRATIONE VICARIATUS APOSTOLICI DE TAYNANFU ERIGITUR IN SINIS PRAEFECTURA APOSTOLICA DE SHOHCHOW.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum Nobis divinitus sit universi christiani gregis cura commissa, Nostri muneris partes esse ducimus etiam erga sacros Pastores mentis Nostrae oculos convertere, eaque decernere quae opportuna magis videantur ut iidem concreditas sibi oves ad secura salutis pascua adducere valeant. Iam vero, cum vicariatus apostolicus de Taynanfu, amplitudine territorii et catholicorum numero conspicuus, regionem amplectatur de *Shohchow*, quae, fidelium numero in dies percrebrescente, peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, atque Vicarius Apostolicus hodiernus enixis precibus flagitaverit ut ipsa regio de Shohchow, e vicariatu de Taynanfu detracta, in peculiarem apostolicam praefecturam erigeretur: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Pro-

pagandae Fidei praepositis, praehabito favorabili voto venerabilis fratris Nostri Celsi Costantini, Archiepiscopi titulo Theodosiensis et Delegati Apostolici in Sinis, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, enunciati Vicarii Apostolici votis benigne concedendum existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, territorium quod complectitur civiles subpraefecturas de *Shohchow*, *Tsoyun*, *Hwayen*, *Fansze*, *Shanyin*, *Jinchow*, *Taichow*, *Sopingfu*, *Pinglu*, *Shenchih*, *Ningwu*, *Pienkwan*, *Wuchai*, *Hoku*, *Paotehchow* a vicariatu apostolico de Taynanfu separamus sive dismembramus, idemque territorium sic seiunctum sive dismembratum in praefecturam apostolicam erigimus, ipsamque sic noviter erectam praefecturam, cui nomen facimus *de Shohchow*, Fratrum Ordinis Minorum curae atque sollicitudini committimus.

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iulii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

II

SANCTUARIUM B. M. V. A VICTORIA, IN CIVITATE DE LACKAWANNA DIOECESIS BUFFALENSIS INTRA FINES, BASILICAE MINORIS TITULO ET PRIVILEGIIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Potiora inter Americae Septentrionalis templa pluribus de causis accensendum est sanctuarium Beatae Mariae Virginis a Victoria, quod in civitate de *Lackawanna* dioecesis Buffalensis intra fines exsurgit, Deo sollemniter consecratum. Ducit hoc sanctuarium originem suam ab antiqua aedicula, in qua miraculis inclyta Virginis Imago exstabat puerum Iesum ulnis foventis, quam cives et advenae singulari veneratione prosequebantur, et ad quam recolendam turmatim e tota Septen-

trionali America confluebant fideles, tam frequenti numero, ut sacellum omnino impar evaderet peregrinis ipsis continendis. Quare aedicula illa aequata solo, in eodem loco altera aedificata est aedes industria ac studio dilecti filii Nelson H. Baker, Protonotarii Apostolici et Vicarii generalis dioecesis Buffalensis, qui quinquaginta circiter annorum spatio indefesso labore immane opus absolvit, splendidum pietatis ac civilis munificentiae monumentum. Et re quidem vera novum hoc sanctuarium nobilitate structurae, amplitudine molis, candore marmorum, et artis operum excellentia praestat. Lata atque alta fronte, splendido tholo, et campanariis turribus praeditum, amplis ad ingressum porticibus ad utrumque latus ornatur. Super altare princeps eminet pro augusto Sacramento asservando Tabernaculum praenobile, cum peristromate, ibique, late conspicienda, pulcherrima prostat e marmore sculpta Deiparae Virginis de Victoria statua cum Infante Iesu, universi populi devotione exculta. Hoc quidem sanctuarium celeberrimae peregrinationes lustrant, ipsius ministerio plurimi inserviunt sacerdotes, copiosa et quidem divite abundat supellectile, sacrae ibi fiunt sollemni pompa supplicationes, indulgentiis Apostolicis privilegiisque pollet, et piis etiam confraternitatibus, quos inter peculiari digna laude recensetur sodalitas nationalis a Nostra Domina de Victoria, quae centum mille numerat socios, et assidua religionis et caritatis christianae operum exercitatione floret et commendatur. Illud quidem iuvat meminisse, pro condenda et ornanda ipsa sacra aede, et pro adnexis operibus fundandis, sustentandis, ingentes fuisse pecuniae summas expensas, quin ullum in praesens aes alienum solvendum supersit: effusae caritatis signum, et divinae Providentiae perenne testimonium. Haec animo repetentes, cum venerabilis frater Thomas Iosephus Walsh, Episcopus Trentonensium, Pontificio Solio adsistens, in hac Alma Urbe et Romana Curia praesens, communia vota depromens venerabilis fratris Guilelmi Turnet, Episcopi Buffalensis, nec non cleri populique utriusque dioecesis, totiusque Septentrionalis Americae, Nos enixis iteratisque precibus flagitaverit, ut praelaudatum Mariale templum sive sanctuarium dignitate Basilicae minoris augere dignaremur, Nos optatis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabili fratre Nostro Antonio, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto; ad decus et ornamentum praelaudati sanctuarii, ut propensum gratumque animum Nostrum significemus erga studiosos curatores et munificos benefactores ipsius, pariterque ad solatium et laetitiam omnium christifidelium, qui devotionem suam erga Deiparam Virginem de Victoria eiusque sacratissimam Imaginem una cum Infante Iesu singularibus probant documentis, motu-proprio atque ex certa scientia et matura

deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium tenore perpetuumque in modum, templum sive sanctuarium Beatae Mariae Virginis de Victoria, situm in civitate de Lackawanna, dioecesis Buffalensis, titulo ac dignitate Basilicae minoris condecoramus, adiectis privilegiis atque honorificentiis quae minoribus Basilicis de iure et consuetudine competunt.

Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Iulii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

DISTRACTO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO NANKINENSI ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS DE HAIMEN IN SINIS, CLERO INDIGENAE COMMITTENDUS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ut, aucto pastorum numero, fidelium gregis bono satius consulamus, id Nos admonet supremi munus apostolatus, quo fungimur. Iam vero cum venerabilis frater Prosper Paris, Episcopus titularis Silandensis et Vicarius Apostolicus de Nanking, instanter Nos postulaverit, ut ob latissime patens suae iurisdictioni subiectum territorium atque incolarum ibidem commorantium multitudinem, suus Nankinensis vicariatus divideretur, atque e territorio ab ipso dismembrato sive diviso, novus ad catholicam fidem validius promovendam conderetur apostolicus vicariatus, indigenis sacerdotibus committendus: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ac praehabito voto venerabilis fratris Celsi Costantini, Archiepiscopi titulo Theodosiensis ac Delegati Apostolici in Sinis, nec non omnibus rei momentis attente perpensis, ea quae sequuntur decernentes, praelaudati Praesulis votis ultro libenter annuendum existimavimus. Nimirum motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione

Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, territorium quod civiles sub-praefecturas de *Haimen*, *Tsungmin*, *Nantung*, *Jukao*, *Taihing*, *Tsingkiang* complectitur, a vicariatu apostolico de Nanking seiungimus; idemque territorium, ita seiunctum sive dismembratum, in vicariatum apostolicum erigimus, cui nomen facimus de *Haimen* et quod curis cleri indigenae tradimus.

Haec volumus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Augusti anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

ERECTIO VICARIATUS APOSTOLICI DE CYRENAICA, ET IMMUTATIO NOMINIS VICARIATUS LYBIAE.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Divinitus Nobis commissum munus supremi apostolatus id potissimum postulat, ut ea sollicito studio decernamus, quae catholico nomini aeternaeque christiani populi saluti bene, prospere ac feliciter eveniant. Expedit quidem, aucto Pastorum numero fidelium gregis spirituali bono satius consulere; eaque mente, cum venerabilis frater Hyacinthus Tonizza, Episcopus titularis Paraetoniensis et Vicarius Apostolicus Lybiae, Nos, enixis precibus rogaverit, ut regio, quae ad orientem vertit, ob territorii amplitudinem innumerasque difficultates, ad christianae fidei uberiorem progressum inibi obtinendum, a vicariatu sibi concredito dismembraretur, atque in separatam Missionem erigeretur, Nos votis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio, atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, territorium Cyrenaicae prout hodiernis finibus circumscribitur e vicariatu apostolico Lybiae distrahimus, separamus, ac dismembramus,

illudque sic separatum, sive dismembratum, apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore in vicariatum apostolicum erigimus, cui nomen facimus «de Cyrenaica» et quem Fratrum Ordinis Minorum curis committimus. Auctoritate similiter Nostra, ac de potestatis apostolicae plenitudine, praesentium tenore statuimus ut nomen veteris vicariatus, a quo novi vicariatus apostolici de Cyrenaica territorium distrahitur, loco Lybiae, sit «Tripolitaniae».

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si secus quidquam super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Februarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. CAROLUM IOSEPHUM TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM S. R. E. PRESB. CARD. SCHULTE, ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM: DE OPERA ET STUDIO GERMANICAE MULIERUM SOCIETATIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quam Germanica mulierum catholicarum societas nuper ad Nos misit ephemeridem, officiosis quidem tuis litteris commendatam, eam singulari quodam animi solacio perlegimus; quippe quod ex eadem comperimus Societatem istam omni prorsus studio adlaborare, sive concionibus publice habitis, sive libris opportune editis, ut morum, qui, malorum hominum opera cotidie deteriores fieri videntur, integritatem strenue tueatur. Quod ut felicius eveniat, ad pravum illum, qui paene ubique invaluit mulierum vestiendi usum removendum, praecipue contendit. Dolendum quidem est, vestes, quae ad corpus opportune tegendum invectae, primum sunt nostris hisce temporibus — cum mulieres plerumque suae oblivisci dignita-

tis solent — ea saepius ratione confici, quae pudicitiam procaciter offendat, et omnibus, adulescentibus iuvenibusque praesertim, illecebrarum causam et incitamentum praebeat. Quamobrem nullam profecto Nosmet ipsi praetermisimus occasionem, ut hunc malorum fontem denuntiaremus atque huiusmodi flagitium apostolica Nostra auctoritate redarguendo depelleremus. Quibus quidem Nostris monitis atque hortamentis omnes, quotquot sunt in catholico orbe populorum Pastores, actuose responderunt; at imprimis Germaniae Episcopi qui vel singillatim vel communiter decreverunt, consilium propositumque Nostrum se ad effectum omni contentione deducturos. Quapropter Societas ista rem sane persequitur, qua cum et recta morum emendatio et christianae virtutis ac probitatis incrementa potissimum coniunguntur. Ut igitur alacri quo solet animo hoc suum tanti ponderis munus, Coloniensis mulierum sodalitas obire pergat, vehementer exhortamur, a Deo enixe efflagitantes ut auxilio suo sodalibus omnibus adsit, earumque coeptum et labores prosperet ac fortunet. Divinarum interea gratiarum auspex itemque paternae Nostrae voluntatis testis Apostolica sit benedictio, quam cum tibi, dilecte fili Noster, tum consociationibus istius moderatricibus atque sodalibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Novembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. IOACHIMUM TIT. SS. BONIFACII ET ALEXII S. R. E. PRESB. CARD. ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, ARCHIEPISCOPUM S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII, CETEROSQUE BRASILIAE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS: DE VISITATIONE APOSTOLICA NUPER IN BRASILIA PERACTA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Commisso Nobis divinitus apostolico munere pascendi *agnos et oves* ut perfungeremur, iam inde ab inito Pontificatu facere non potuimus quin cogitationes Nostras ad Brasiliam intenderemus, ad istam scilicet immensitatem regionum, quibus catholicae Ecclesiae pars non exigua continetur. Cum igitur deliberatum Nobis esset in populi vestri utilitatem nihil non experiri, fausta Nobis oblata centesimi anni exeuntis opportunitate, ex quo Brasilia sui iuris facta est, in eam venimus mentem,

ut visitatores apostolicos istuc mitteremus, qui, alias alii dioeceses peragrando, accurate subtiliterque inspicerent quanam unaquaeque earum condicione esset, quibusnam premeretur incommodis quaeque demum remedia ad res in melius mutandas aptiora viderentur. Itaque delegimus, ut nostis, clarissimos viros tres: Iosephum a Persiceto summum franciscalium Capulatorum moderatorem, Benedictum Lopez e Benedictino Ordine Abbatem et Marcellum Reynaud e Societate Iesu, qui, ad praescripta tum Sacrae Congregationis Consistorialis, tum Nuntii in Brasilia Nostri, apostolicam eiusmodi visitationem obirent; cum autem religiosi ii viri territoria unicuique lustranda communi consilio inter se dispertiissent, mirum quam sapienter et mature et studiose laboriosissimum officium expleverint. Atque heic cuncto Brasiliano populo vehementer gratulari libet quod Apostolicae Sedis legatos praeclaris pietatis suae significationibus excepit: quo in genere civiles magistratus, cum reipublicae universae, tum civitatibus locisve singulis praepositos, dilaudamus, quibus auctoribus factum est, ut non modo eorundem legatorum itinera sed etiam operosa sane coepta faciliora redderentur. At singulari prorsus laudis praeconio Episcopos et sacerdotes ornatos in universum volumus, qui, humanis quibusvis rationibus amotis, legatos illos Nostros haud aliter quam Dei ipsius legatos respexerunt atque habuerunt. Quamobrem cupimus precamurque, ut ii omnes, quotquot de Nobis deque Ecclesia Dei optime ea occasione meritos memoravimus, atque adeo natio omnis Brasiliana, pro tam egregiis fidei pietatisque testimoniis, largam a Deo remunerationem accipiant. – Atque ut ad ea deveniamus, quae ad Apostolicam Sedem visitatores scripto renuntiavere, scitote, dilecte fili Noster, venerabiles fratres, et Nobis et S. R. E. Cardinalibus, quorum cognitioni et iudicio eiusmodi scripta proposita sunt, periucundum accidisse, quod comperire inde licuit, populos vestros in fidei catholicae studio atque in morum integritate tuenda haud parum hac aetate profecisse: quas quidem in christianae vitae instituto progressiones vestra si natio et, quanti oportet, aestimet et cotidie maiores facere in posterum pergat, non poterit diu ab summa illa rerum suarum prosperitate abesse, quam ad assequendam haud tardo gradu procedit. Verum, in hac vel fructuum ubertate vel spe meliorum temporum, nonnulla adhuc desiderantur, quae quidem quam primum effici oportebit. Etenim infrequens est paene ubique clerus — alicubi vero infrequentior — et procurandae christiani populi saluti nimis profecto impar, etsi religiosorum virorum virginumque Deo sacrarum sodalitates, vel ab Europa istuc inductae, vestris sacrorum administris adiutricem navare operam contendunt. Dolendum praeterea, aut pauciores ex adulescentibus ad sacerdotium adspirare, aut, qui forte adspirent, eos ad suscipiendam Ecclesiae militiam rite excoli

ob facultatum tenuitatem non posse; Seminaria minus ad alumnorum institutionem suppetere; magnum sacrarum aedium numerum inopiâ laborare; divinum cultum ad liturgiae praescriptiones saepius non dirigi. Huc accedit, quod acatholici, ut sunt, ob quandam rerum suarum temperationem ordinationemque, ad asseclas sibi conciliandos praesidiis omne genus instructi, cum per editos libros et commentarios, tum per opera illa atque instituta quae eo spectant ut iuventutem alliciant novatorumque erroribus imbuant, gravissimum apud vos Ecclesiae, societati domesticae et Civitati ipsi periculum iniiciunt. Quae quidem incommoda quoniam quam citissime sunt amovenda, nisi volumus maiora rei catholicae detrimenta ac mala istic futurum in tempus inuri, Apostolicae Sedis consilia et mandata proxime vobiscum communicaturi sumus perquam opportuna: quae si, pro perspecta ac cognita Nobis pastorali sollertia vestra, ad effectum deduxeritis — de quo non est cur dubitemus — iam eam utilitatum copiam Brasilianae genti parituri estis, unde et maxima in reliquum vitae tempus solacia capietis et amplissima in caelis praemia consequemini. Quorum quidem auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster, venerabiles fratres, et clero populoque dioecesium vestrarum universo, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Ianuarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

III

AD RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS TUM REGNI SERBORUM-CROATORUM-SLOVENORUM TUM REIPUBLICAE CECHO-SLOVACAE: DE SANCTIS CYRILLO ET METHODIO, EARUM GENTIUM APOSTOLIS, COMMEMORANDIS.

PIUS PP. XI

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. – Quod S. Cyrillum Thessalonicensem, gentium Slavicarum apostolum, undecimo ab eius ortu saeculo exeunte, commemorari decrevistis, censemus recte a vobis opportuneque factum; nec minus laudabile consilium iniisse videmini, cum deliberatum vobis est, in hac temporis faustitate Methodii quoque memoriam recoli, eius germani fratris et in apostolatu conlegae, amplissimosque utrique honores coniunctim deferri, cum essent ambo, ut Cyrilli ipsius verbis utamur, « consortes, unum sulcum in agro dominico imprimentes ». Etenim quo sancti illi fratres studio exarserunt fidei in

regionibus vestris propagandae, illud quidem tam commune utrique fuit atque adeo in communem similemve actionem prosiluit, ut alter ab altero seiungi non possit: nec vero alia de causa fel. rec. decessor Noster Leo XIII, Encyclicis Litteris *Grande munus* die XXX mensis Septembris anno MDCCCLXXX datis, quemadmodum diserto laudum praeconio utrumque simul praedicavit, sic utriusque cultum, pervetustum sane istic atque inveteratum, universo imperavit catholico nomini. At nemo non videt, Cyrillum ac Methodium, etsi toti Ecclesiae sunt ornamento et gloriae, Slavicis tamen populis, quos Christo non sine magnis laboribus pepererunt, esse imprimis colendos atque imitandos. Curandum igitur, venerabiles fratres, ut, si unquam alias, potissimum saeculari hoc vertente anno, sancta et operosa utriusque vita crebro veluti ante fidelium oculos scriptis contionibusque proponatur. Vestrum praeterea esto, omni contentione efficere, ut iuvenes, quicumque e laicis vel e sacro ordine scholas, lycea studiorumque Universitates celebrant, gloriosos illos caelites in exemplum intueantur; qui, quamquam honestissimo loco Thessalonicae orti et rhetorum philosophorumque praeceptis satis superque Constantinopoli exculti, tamen nec se appetentes gloriae praestitere suamve iactavere excellentiam nec passi sunt se imperatoriae Aulae magnificentia aulicaeque consuetudine vitae allici, immo, cum in solitudine servire Deo qua par est demissione didicissent et Ecclesiae utilitatibus se totos dedidissent, sacras illas expeditiones, difficultatis ac periculi plenas, ad Saracenos, ad Chazaros, ad Iudaeos, ad Slavos, unam proponentes sibi divinam gloriam, animose susceperunt. Praeclaras sane virtutes ac laudes historia testis est in his apostolicis viris eluxisse; multarum enim rerum cognitioni animi nobilitatem demissionemque adiungentes, sacri ministerii labores diuturno precum officio, intentissima castitatis custodia voluntariisque corporis castigationibus cumularunt. Quodsi oportet ut Slavicae gentes Cyrillum ac Methodium christianae vitae perfectius traducendae magistros adhibeant, at aequum profecto est ut vestri omnes, iis ipsis, quos principes olim romanae fidei seminatores ac satores habuerunt, non modo caelestibus Patronis, sed etiam ducibus in retinendo adipiscendove catholicae beneficio communionis utantur. Cum enim in utriusque animo illud Christi haereret, post novissimam Caenam divinum Patrem rogantis « ut omnes unum » discipuli sui essent, insiderentque pariter alte ea omnia quae Orientales Patres de oecumenica christianae Ecclesiae unitate tradidissent, Slavicas oves non ante pascere voluerunt, quam a Petri successoribus, quibus grex Christi universus commissus divinitus esset, pascendas accepissent. Iidem praeterea romanum iter conficere; ad stabiliendum proferendumve Christi regnum hinc mitti delegata ab Romano Pontifice pote-

state; decessorum Nostrorum patrocinio continenter tegi; alter monastica vota Romae nuncupare paulo ante ipsius exitum vitae, tam celebri civium comploratione honestatum, alter Romae consecrari episcopus; quem ambo liturgiae usum in terras Christo adiunctas induxissent, is heic probari et confirmari; aliis bene multis Pontificalis benignitatis significationibus eorum animi ad susceptum apostolatum acui: quae quidem omnia nonne testificantur, nihil sanctis fratribus fuisse antiquius, certius nihil ac deliberatius, quam ut cum Ecclesia Romana arctissime cohaererent? Quare igitur miremur, si Cyrillus ac Methodius — quos Orientis filios, patria Byzantinos, gente Graecos, missione Romanos, apostolatus fructibus Slavos appellare licet – omnia omnibus facti sunt, ut catholicae Ecclesiae unitati omnes lucrarentur? Itaque fieri non potest, venerabiles fratres, quin Nobis id accidat periucundum, quod est vobis in animo, duo ista Orientis lumina, hoc anno, veluti altius in candelabro proponere, ut, quemadmodum olim cum in terris agerent, sic hodie in caelis gloriosi, populis vestris colluceant, eosque mirificis virtutum suarum exemplis ad christiane sentiendum vivendumque alliciant atque excitent. Scilicet a beatissimis fratribus discat clerus, religiosi item viri virginesque Deo sacrae discant innocentem castissimamque vitam ducere eandemque provehendae animarum saluti devovere integram; christianae discant familiae inviolatas de indissolubili matrimonio deque recta liberorum institutione atque educatione leges servare ac tueri; christifideles denique omnes, quacumque ii condicione sunt, sive agricolae et rustici, sive opifices, sive optimates primoresque civitatis, sive litteris ac doctrinis eruditi viri iisdemve tradendis doctores, sive magistratus qui communi prosperitati pro officio student, veritati, iustitiae caritatique deservire discant, si volunt, Christi pace inter nationes atque inter cives unius eiusdemque nationis restituta, patriam suam rebus cotidie florentioribus uti. « Non sumus quidem nescii — ut verba Leonis XIII usurpemus — quot et quantae difficultates obsistant: praesertim cum plurimi sint, quibus est propositum eorum errorem retinere ac propagare, qui acceptam a Cyrillo Methodioque fidem deseruerunt. Sed proximorum saluti animose inserviendum est, et in tuenda fidei catholicae unitate nullus recusandus labor ».[1] Immo etiam, prout idem Pontifex paulo ante monuerat, oportet « ut ii qui catholicae unitatis exsortes adhuc tamen duos Sanctos Viros in honore habent et reverentur, alliciantur ad appetendam concordiam et coniunctionem cum hac Apostolica Sede, considerantes quam absonum sit ab eius communione esse seiunctos,

[1] Ep. *Bene cognitum*, 14 Iulii 1881, ad Archiep. Pragensem aliosque Bohemiae Episcopos.

quam tamquam matrem et magistram coluerunt illi, quos ipsi sese habere fidei praeceptores fatentur ».[1] Atque hoc loco non tam commemorare placet quam meritis prosequi laudibus quicquid hac in nobilissima gravissimaque causa apud vos agi coeptum est. Quo in genere intellegi volumus scripta ac commentaria, quae a nationis vestrae doctis eruditisque viris edita adhuc in lucem sunt, et quae, Nobis vobisque, venerabiles fratres, ducibus atque auspicibus, pia passim excitantur opera ab Sodalitate « Apostolatus SS. Cyrilli et Methodii » nuncupata, cuius legem propriam ab Apostolica Sede nuper recognoscendam iterumque probandam curavistis; dicimus praecipue conventus Velehradii — ubi Methodius e vita excessit — identidem, statis temporibus, habitos, quos haud semel laudavimus, itemque Institutum SS. Cyrilli et Methodii ibidem conditum adulescentibus rite educendis, qui aliquando Slavicas inter gentes digne fructuoseque apostolicum munus exerceant: quod quidem Institutum ut Pontificii nomine iuribusque uteretur, proximo fel. rec. decessori Nostro Benedicto XV placuit. Quod reliquum est, confidimus fore, ut per saecularia eiusmodi sollemnia, quae agere incipitis, et catholici quoque ex aliis gentibus, ut cupimus, pie acturi videntur, populares vestri, pietatem Antistitum in sanctos fratres suorum imitati atque aemulati, ab his christiano Orienti, tot calamitatibus presso, uberrima divinarum gratiarum praesidia impetrent. Utinam Slavi omnes pie recolant et obsequenter perficiant ea quae Cyrillus iam moriens a Deo implorabat: « Domine Deus, qui omnes angelicos ordines et incorporeas vires creasti, caelum autem extendisti et terram firmasti... auge Ecclesiam tuam multitudine et omnes in mentium unitatem collige, et electos homines constitue concordes in vera fide tua et recta confessione, et inspira in corda eorum verbum tui auditus... ut accingant se ad bona opera et ea faciant quae Tibi sunt placita ».[2] Eiusmodi autem preces ut benignissimus Deus in vestrae nationis bonum atque incrementum plene exaudiat atque effecta dari iubeat, apostolica praestet benedictio, quam, caelestium donorum auspicem paternaeque caritatis Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et universo clero populoque cuiusque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIII mensis Februarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

[1] Ep. *Etsi perspecta,* 8 Ianuarii 1881, ad Archiep. Iadrensem aliosque Dalmatiae Episcopos.

[2] *Vita Constantini philosophi* slavica.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

VAPICENSIS

ERECTIONIS DIGNITATIS IN CATHEDRALI CAPITULO

DECRETUM

Vapicensis Episcopus preces S. Sedi porrexit, ut iuxta can. 393 n. 1 et can. 394 n. 2 Codicis iuris canonici, in sua cathedrali Ecclesia Dignitas Decanatus erigeretur, utpote quia qualibet Dignitate Capitulum cathedrale deficiat. Et postulavit insuper ut haec Dignitas, hac prima vice, conferatur canonico Mariae Adriano Augusto Sauvebois. Quibus precibus annuens SSmus Dominus Pius Papa XI, Apostolica auctoritate, in praefato Capitulo perpetuo erigit ac instituit capitularem Dignitatem, cui Decanatus nomen inhaerebit, simul indulgens, ut illam hac prima vice habeat ac possideat memoratus canonicus Adrianus Augustus Sauvebois. Futuris autem vacationibus eadem Dignitas de collatione erit Apostolicae Sedis. Hisce super rebus idem SSmus Dominus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Literae desuper expeditae fuissent. Illius autem exsecutio una cum facultatibus ad id necessariis praefato Rmo Episcopo Vapicensi committitur; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 11 Februarii 1927.

✠ C. Card. De Lai, Ep. Sabinen. et Mandelen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

27 Ianuarii 1927. — Titulari episcopali Ecclesiae Anthedonensi praefecit R. P. Bernardinum Vitalem Bigi, O. F. M. quem deputavit Vicarium Apostolicum nuper erecti vicariatus de Cyrenaica.

28 Ianuarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Helenopolitanae in Bithynia, R. D. Honoratum Coppieters, parochum decanum ecclesiae oppidi *Alost* dioecesis Gandavensis, quem deputavit Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Iacobi Seghers, Episcopi Gandavensis.

29 Ianuarii. — Titulari Ecclesiae Macrensi, pro hac vice ad archiepiscopalem evectae, R. P. D. Iosephum Pfluger, Auxiliarem Emi P. D. Card. Gustavi Piffl, Archiepiscopi Viennensis, hactenus Episcopum tit. Harpasensem.

1 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sathensi, R. P. Iacobum Edoardum Walsh e Societate Missionum de Maryknoll, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Kong-moon.

4 Februarii. — Cathedrali nuper erectae Ecclesiae Bragantiensi in Brasilia, R. P. D. Mauritium Iosephum Rocha, hactenus Episcopum Corumbensem.

7 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Monopolitanae, R. P. D. Antonium Melomo hactenus Episcopum Squillacensem.

11 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Rheginensi, R. P. D. Carmelum Pujia hactenus Archiepiscopum S. Severinae eundemque, propter unionem in personam, hactenus Episcopum Cotronensem.

18 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bararensi, R. D. Ioannem Filzer, Canonicum parochum ecclesiae metropolitanae Salisburgensis, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Ignatii Rieder, Archiepiscopi Salisburgensis.

28 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Mobilensi, R. D. Thomam Toolen, ex archidioecesi Baltimorensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Siccae Veneriensi, R. D. Casimirum Tomczak, doctorem theologiae patristicae tradendae in Seminario Varsaviensi, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Vincentii Tymieniecki, Episcopi Lodzensis.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DE SACERDOTIBUS MAGISTERII MUNUS GERENTIBUS IN PUBLICIS SCHOLIS

DECRETUM

Cum plures locorum Ordinarii postulavissent ut peculiaribus quibusdam normis sacerdotum disciplina, qui in publicis scholis docent, regeretur, haec Sacra Congregatio in plenariis comitiis diei 15 Ianuarii huius anni decrevit servanda ea quae sequuntur; quae quidem SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI, in audientia die prima mensis Februarii ab Emo Cardinali huius Sacrae Congregationis Praefecto habita, rata firmaque voluit eademque publici iuris fieri mandavit.

I. Sanctae Sedis praescripta de clericis et sacerdotibus publicas studiorum Universitates vel scholas Normales, quas vocant, frequentantibus, firma maneant; praesertim vero ea quae Litteris Secretariae Status diei 20 Novembris 1920 praecipiuntur, adamussim serventur.

II. Sacerdotes, etsi magisterii titulum consecuti, adstricti, uti antea, suae quisque dioecesis servitio manent; proprioque Ordinario subiiciuntur.

III. Curent Ordinarii ut hi sacerdotes docendi munus obeant in sua dioecesi, praesertim in sacris clericorum Seminariis vel in privatis scholis.

IV. Sacerdos, huiusmodi munus atque officium in publicis scholis ne petat neque acceptet sine explicito Ordinarii sui consensu; qui quidem consensus est natura sua revocabilis.

V. Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, consensum ne concedat nisi iis qui pietate et doctrina excellunt, quique tum alumnis tum ceteris magistris privatim et publice exemplo sint.

VI. Ordinarius permittere poterit ut sacerdos dioecesanus in aliam dioecesim magisterii exercendi causa se conferat, ea tamen lege ut susceptum munus ad nutum tum Ordinarii proprii tum Ordinarii loci retineatur. Itaque Ordinario in dioecesis servitium illum revocanti et Ordinario loci illum dimittenti, quocumque praetextu remoto, sacerdos parere tenetur.

VII. Ordinarius ne sinat ut sacerdos suae dioecesis in alia dioecesi magisterium ineat, nisi prius de re loci Ordinarium monuerit eiusdemque veniam obtinuerit.

VIII. Sacerdos in aliena dioecesi magisterium initurus sine mora loci Ordinarium adeat, quem, iuxta can. 94 Codicis iuris canonici, ut Ordina-

rium suum, usquedum eo in loco commorabitur, habere, eiusque vigilantiae auctoritati et correctioni se submittere debet.

IX. Ordinarius vero loci poterit:

a) praecipere, iusta de causa, arbitrio et prudentia eius aestimanda, ut sacerdos alicui ecclesiae sit addictus;

b) statuere ut idem sacerdos peculiari vigilantiae Vicarii foranei vel parochi aliusve sacerdotis subsit;

c) exigere ut sacerdos referat in qua domo habitualiter commoretur et quibuscum personis cohabitet; vetare ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineat et quoquo modo frequentet; iubere, si id necessarium aut opportunum Ordinarius iudicaverit, ut penes aliquam religiosorum sodalium domum a se designandam degat;

d) vetare ne docendi munus in scholis, quas vel solae puellae vel puellae simul et adolescentes celebrant, suscipiat; neve puellas privatim doceat atque instituat;

e) praecipere ut omnes et singulas obligationes communes clericorum servet; praesertim vero, ut collationibus seu conferentiis ad casus de re morali ac liturgica solvendos intersit; ut adiuvet parochum loci in religiosa puerorum institutione; ut diebus festis de praecepto brevem Evangelii aut alicuius doctrinae christianae capitis explanationem habeat in Missa quam, fidelibus adstantibus, celebrat;

f) monere, corripere et, si casus ferat, congruis poenis, ad normam sacrorum canonum, sacerdotem afficere, si a recto tramite deflexerit.

X. Ordinarius loci, cuiusque anni scholastici expleto cursu, Ordinarium sacerdotis certiorem faciat de eiusdem vita et moribus.

XI. Sacerdos magister e loco per notabile tempus discessurus Ordinarium eiusdem loci commonefaciat; ferias vero aestivas initurus suum eidem obsequium praestet; in dioecesim vero reversus, se sistat Ordinario suo eiusque mandatis fideliter obediat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii, die 22 Februarii 1927.

D. Card. Sbarretti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Iulius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIAE

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 25 Ianuarii 1927, archiepiscopali Ecclesiae Atheniensi praefecit R. D. Ioannem Baptistam Filippucci, e vicariatu apostolico Constantinopolitano, Antistitem Urbanum.

II

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

11 Augusti 1926. — *Vicarius Apostolicus de Haimen in Sinis*, R. P. Simon Tsu, presbyter e Societate Iesu.

14 Septembris. — *Vicarius Apostolicus Marroquiensis*, R. P. Ioseph Betanzos ex Provincia Hispanica Ordinis Fratrum Minorum.

25 Ianuarii 1927. — *Vicarius Apostolicus Insularum Gilbertinarum*, R. D. Ioseph Bach, e Congreg. Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu.

— *Coadiutor, cum iure futurae successionis, Episcopi Dacchensis in Indiis Orientalibus*, R. D. Timotheus Ioannes Crowley, e Congregatione Sanctissimae Crucis.

— *Vicarius Apostolicus Senegambiae*, R. P. Augustus Grimault, e Sodalibus Instituti a Spiritu Sancto.

— *Coadiutor, cum iure futurae successionis Vicarii Apostolici Nigeriae Meridionalis*, R. P. Carolus Heerey, e sodalibus Instituti a Spiritu Sancto.

26 Ianuarii. — *Vicarius Apostolicus de Hankow*, R. D. Eugenius Massi, Episcopus titulo Ioppidanus, hactenus Vicarius Apostolicus de Sianfu.

4 Februarii. — *Vicarius Apostolicus Cyrenaicae*, R. P. Bernardinus Bigi, ex Ordine Fratrum Minorum.

9 Februarii. — *Vicarius Apostolicus de Kong-moon in Sinis*, R. P. Iacobus Eduardus Walsh, e Societate pro Missionibus Exteris de Maryknoll.

Successivis decretis Sacra Congregatio de Propaganda Fide renunciavit ad suum beneplacitum:

10 Decembris 1927. — R. P. Aloisium Mohn, e Congregatione Missionariorum Filiorum Sacri Cordis Iesu, *Praefectum Apostolicum de Lydenburg.*

2 Februarii 1927. — R. P. Gerardum Wantenaar, ex Instituto Missionariorum S. Ioseph, de Mill-Hill, *Praefectum Apostolicum de Basankusu.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

TOLETANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI SOR. MARIAE A IESU, MONIALIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis Causae Servae Dei Sor. Mariae a Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur?

In Hispaniae provincia de Guadalajara et Seguntinae dioeceseos oppido, vulgo *Tartaneda*, e parentibus nobilitate et virtute claris, Antonio Lopez de Riva et Elvira Martinez, die 18 Augusti 1560 in lucem prodiit infantula quae, in ecclesia parochiali S. Stephani Protomartyris sacro baptismate abluta, Mariae nomen accepit. Quatriennis a patre prope morituro vocata audivit: « Filia, ego morior, sed Deus tibi pater superest: Ipse tibi benedicat, teque servet ». Paulo post obitum parentis, Maria quum in imminentis mortis periculo versaretur ob praerumpentes Galli fluminis undas, a Deipara Virgine, uti fertur, mira apparitione adstante et succurrente incolumis servata, his verbis recreata est: « Te filiam meam esse volo ». Genitricem ob mortem viri nimio moerore affectam exquisitis modis et industriis consolabatur pia, obediens et affabilis filia. Quae animi virtutibus singularique modestia praestans, ad poenitentiam et ieiunium inclinata, atque orationi mentali et vocali supra aetatem addicta, admirationem et aestimationem omnium sibi trahebat, bonum porrigens et iucundum spectaculum Deo et hominibus. Mater vidua, ad secundas transiens nuptias, Mariam reliquit sub potestate avorum et patruorum qui eam aspectu pulchram, opibus divitem et ingenio subtilem, satis aptam et destinatam iudicarunt ad novam familiam procreandam, congruis nuptiis ineundis. Unde ipsam elegantiori cultu ac

veste indutam honestasque conversationes frequentantem voluerunt. Aegre hoc tulit puella, maiorum tamen desiderio et voluntati paruit. Videns autem se paulatim saeculi pompis et oblectamentis aliquanto indulgere et profanum pulverem a mundo contrahere, caelesti Patri et divinae Matri recursum habuit et omni spe totoque corde confisa, assidua prece opportunum tanti Patris et tantae Matris imploravit atque obtinuit auxilium. Duodennis per biennium passa est fortique animo sustinuit asperas intimasque luctationes et voces, alias ad asceterium, alias ad connubium impellentes, in qua spiritus et carnis contentione, illa sententia relevata est quod « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ». Duo quoque pii ac docti sacerdotes, conscientiae moderatores, unus ex Ordine Sancti Francisci, alter e Societate Iesu praesto illi fuerunt, quorum monitis et consiliis ipsa obtemperans, adiuvante Dei gratia, et Deipara Virgine protegente, ab illo interiore certamine libera et victrix evasit. Insuper noctu dum in domestico sacello ferventius oraret coram imagine Iesu Christi cruci affixi, sibi visum est audire eam ter dicentem: « Esto monialis »: quibus arcanis vocibus Maria statim acquievit et pretiosis vestibus depositis humiliores induit et cilicio se cinxit. Interea avunculis defunctis, adolescentula trilustris in potestatem patrui devenit, cui mentem suam aperuit, eoque annuente et favente divitias suas propinquis pauperibus distribuit, praeter quinque millia ducata in dotem monasticam sibi constitutam. Post breves moras, consulente suo moderatore P. Antonio de Castro S. I. et accedente beneplacito S. Teresiae matris et institutricis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, quae per epistolam exquisita, scripto responderat: « Inter suas libentissime eam se esse accepturam Toleti, illuc igitur ipsa protinus se conferret »; hunc Ordinem elegit atque ingredi statuit. Revera summo gaudio et magna voluntate quatuor diebus ante festum solemne Assumptionis B. M. V. comitantibus patruo et P. Antonio de Castro Toletum pervenit, ubi in monasterio S. Ioseph, eodem mense Augusto et anno 1577 religiosum habitum suscepit et tyrocinium inivit, monialibus bene accepta et cooptata utpote illa quae a sancta matre Teresia eisdem fuerat per epistolam commendata. In novo religioso statu Dei Famula graves infirmitates et, diabolo excitante, plures tentationes sustinere debuit; sed Iesu et Mariae auxilio atque ipsius S. Teresiae consilio vicit et triumphavit. Tyrocinio laudabiliter iam expleto, atque mentis et corporis sanitate gaudens, ad solemnem votorum professionem in manus priorissae Annae ab Angelis rite admissa fuit die 8 Septembris Soror Maria a Iesu; non sine caelesti beneplacito, uti fertur. Paucos post dies S. Teresia, quae Mariam a Iesu tantum per mutuas litteras alloquebatur et audiebat sed nunquam viderat, Toletum

adivit eamque vidit, audivit et probavit. Eius virtutem et religiosam observantiam admirans et laudans, quasdam regulas eidem tradidit ad maiorem animi perfectionem, simulque tempus orationis circumscripsit, ne nimia contentio mentis in Deum valetudini noceret, quin imo effecit ut exteriori officio a praeside sibi commisso animum et corpus ipsa sublevaret. Unde primum aeditua, dein aegrotantium curatrix, demum domus ostiaria, officia quaeque bene sancteque gessit, cum decore et utilitate sacrae aedis, valetudinarii et monasterii. In aetate viginti trium annorum tyronum magistra electa et sexies confirmata plenam regularum observantiam, ipsa praeeunte, in discipulas suas provehendam curavit cum spiritu orationis et omnigenae virtutis exercitio. Quinquelustris anno 1585 ad Superiorum nutum secuta est matrem Annam ab Angelis quae ad urbem *La Cuerva* missa erat ad novum Carmelitarum excalceatarum monasterium erigendum. Illic Serva Dei operis socia et subpriorissa renunciata, paulisper mansit, sibi captans benevolentiam sororum et opinionem sanctitatis, donec a monialibus S. Ioseph in suum monasterium Toletanum revocata, ibi eiusdem monasterii priorissa ter electa et confirmata annis 1591-1598 et 1632 forti et suavi regimine praefuit, amans et amata. Tredecim circiter annis ab omnibus monasterii sui officiis se abstinuit, sed panem otiosa non comedit, siquidem fructum contulit operibus manuum suarum. Iuxta morem illius monasterii Maria Iesu in tranquilla et sancta solitudine degens in Deo abscondita eique vacans et placens, reliquos vitae annos duxit, magis Angelus quam mulier, donec annis et meritis dives, plusquam octogenaria piissime obdormivit in Domino. Interim fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum Servae Dei, in vita et post obitum non solum in civitate et archidioecesi Toletana sed in universa Hispania magis magisque clara, diffusa et perseverans viam aperuit ecclesiasticae Curiae Toletanae ad Processum informativum super ea condendum, quo absoluto et Romam ad sacram rituum Congregationem transmisso, haec, iuris ordine servato scriptisque ipsius Servae Dei revisis, benigne rescripsit: « Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi possit ». Quare instante R. P. Roderico a S. Francisco de Paula, Ordinis Carmelitarum excalceatorum et huius Causae postulatore, Rmi Praepositi generalis totiusque Ordinis vota depromente, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Patrum Cardinalium, plurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon religiosarum sodalitatum praesidum, Capitulorum, Collegiorum et virorum dignitate praestantium, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et eiusdem Causae Relator, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto, se-

quens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, cunctisque diligenter discussis ac perpensis, rescribere censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 30 Novembris 1926.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Sororis Mariae a Iesu monialis professae Ordinis Carmelitarum excalceatorum. Die 10 Decembris 1926.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

ROMANA seu FALISCODUNEN.

CANONIZATIONIS BEATAE LUCIAE FILIPPINI, VIRGINIS, FUNDATRICIS ATQUE ANTISTITAE INSTITUTI MAGISTRARUM PIARUM AB EIUS COGNOMINE NUNCUPATARUM.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Luciae praedictae, in casu et ad effectum de quo agitur?

Promulgatis Sanctissimi Domini nostri Pii Papae XI Litteris in forma Brevis die 13 Iunii labentis anni 1926, solemniisque Beatificationis Venerabilis Servae Dei Luciae Filippini, Virginis, fundatricis praefati Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum, in Patriarchali Basilica Vaticana celebratis, triduanae festivitates in honorem novensilis Beatae, iuxta morem et instructionem Sacrae Rituum Congregationis, peractae sunt, Apostolicis privilegiis et indulgentiis ditatae, et primum Romae in ecclesia Sanctissimi Nominis Iesu, extraordinaria solemnitate atque ingenti cleri populique concursu, curante Causae Postulatore et antistita generali praefati Instituti, e domo principe ad Gymnasios; deinde in aliis dioecesibus praesertim ubi filiae et discipulae Beatae Matris et Magistrae institutioni religiosae et civili puellarum et iuventutis, privatis publicisque rationibus sedulam ac salutarem operam navant. Speciali men-

tione dignae sunt civitates Tarquinia ubi Beata Lucia ortum duxit et Faliscodunensis ubi sancte vixit optima Magistra Pia et missionaria, et piissime obiit, cuius sacrum corpus in ecclesia cathedrali Sanctae Margaritae Virginis et Martyris magna multitudinis frequentia et veneratione colitur. Quae quidem festivitates ubique christifidelium devotionem erga Beatam Luciam magis magisque excitarunt, ad amorem, imitationem et orationem cum fiducia auxilii impetrandi in propriis necessitatibus. Unde evenisse feruntur recentiora prodigia eius intercessione a Deo patrata atque habita veluti indicia divinae Providentiae ad proxime ornandam Beatam Luciam nova sanctitatis aureola et supremo canonizationis honore. Quapropter instante Reverendissimo Domino Angelo Sinibaldi, antistite Urbano et huius Causae postulatore, enixasque preces et vota antistitae generalis totiusque religiosae familiae Filippini depromente, attentisque litteris postulatoriis Eminentissimi Domini Cardinalis Basilii Pompili, Episcopi Veliterni et Sanctitatis Suae Vicarii Generalis in Urbe, aliorumque sex Patrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Caroli Cremonesi, Archiepiscopi Nicomediae, a Pontificiis Largitionibus, et Reverendissimorum Episcoporum Montisfalisci, Tarquinien. et Centumcellarum, atque Pomarien., necnon trium Patrum Abbatum, Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanen. eiusdem Causae ponens seu relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Eminentissimi Ponentis, audito Reverendo Patre Domino Carolo Salotti Fidei promotore generali, omnibus perpensis rescribere censuerunt. *Affirmative seu signandam esse Commissionem Reassumptionis Causae si Sanctissimo placuerit.* Die 30 Nov. 1926.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Luciae Filippini, Fundatricis et primae Antistitae Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum, die 22 Decembris 1926.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

III

VERONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI MAGDALENAE MARCHIONISSAE DE CANOSSA, FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Plurimam sane laudem sibi comparant quotquot, honesto loco nati ac divitiis diffluentes, cunctis vitae commodis et mundi illecebris contemptis, se totos divino cultui et spiritus perfectioni in claustris mancipant; maiorem tamen sibi conciliare videntur admirationem, potioresque grati animi affectus vindicare, qui celsissimo genere exorti, praeclarum inter cives nomen obtinentes, gloria maiorum, opibus et honoribus conspicui, hanc omnium altissimam conditionem abiiciunt, atque simul quidquid inter homines laboriosum magis est assiduamque contentionem requirit, tamquam propriam partem eligunt, in eoque vitam suam universam impendunt. Praestantissimam hanc porro laudem assequuta est Ven. Dei Famula Magdalena e Marchionibus de Canossa, natalibus quidem nobilis, sed virtute rebusque praeclare gestis nobilior. In ea temporum calamitate, religiosae professioni maxime infensa, qua vesanus furor impiorum hominum in Galliis apprime rivos sanguinis effunderat ut catholicam fidem, si posset, deleret, atque alias iam Europae regiones pervaserat, ineunte saeculo decimo nono, pessima germina ubique fovens, ex quibus venenati fructus orituri erant, haud pavit Magdalena, sed procellae ingruenti pro viribus esse obsistendum, pietatem in populis corroborandam ac mala sarcienda quae a religionis hostibus Ecclesiae illata fuerant, animo reputare coepit. Abiectis itaque familiae suae deliciis, ac repudiatis sibi oblatis nuptiis, Christum sponsum selegit eumque sequi constituit, auditoque sui spiritus moderatoris consilio, Carmelitidum coenobium est ingressa, vocationis suae experiendae gratia. Uti divinam voluntatem cognitam habet, et alio se appellari atque alia a se peti sensit, inde discedit ac, disponente Deo, puerilis aetatis institutioni se totam devovet, ut in locum senescentium impiorum nova succresceret proge-

nies catholica catechesi ac pietatis sensibus imbuta. Mirum est quantopere adlaboraverit, ut in primis minuta plebs fidei rudimentis instrueretur, et tenerae puellarum mentes religionis studio succenderentur. Salutare autem hoc opus perenne vel diu esse mansurum voluit, Filiarumque a Caritate Institutum condidit, quod hodie ad Sinense quoque Imperium diffusum feliciter est.

Integritate vitae Ven. Serva Dei excelluit: nihil in ea umquam animadversum quod ad pudoris normam non foret, nihil quod ab honesti rectique legibus vel minimum abesset. In virtutibus excolendis tanta alacritate incessit, ut in omnibus haberetur veluti absolutum religiosae perfectionis exemplar. Ad instar bonitatis divinae, quae, miserta omnium, eadem omnibus gremium pandit liberalitatis suae, caritate sua omne hominum genus complectebatur, cunctorum malorum remedium afferre studuit, dulcissimamque sui memoriam etiam in nosocomiis reliquit. Quo factum est ut de Caelitum honoribus Ven. Famulae Dei comparandis studium, post eius obitum, exarserit, conditisque episcopalibus inquisitionibus, anno 1877, post opportunam disceptationem, signata est Commissio introductionis causae verenda manu Pii sac. mem. Papae IX. Absolutis subinde cunctis, quae sacrae leges perfici iubent, coepta est disquisitio super virtutibus in specie anno 1905, quam secuta est quatuor post annos Congregatio Praeparatoria. Haec autem, pro maiore causae perspicuitate, bis instaurata est; novissime vero comitia generalia coacta sunt coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus Rmus Cardinalis Caietanus Bisleti, causae Ponens, sequens dubium ad discutiendum proposuit: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis Ven. Servae Dei Magdalenae Marchionissae de Canossa, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur;* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores suffragia singuli tulerunt; quae intento animo prosecutus est Beatissimus Pater, atque aperte significavit, quaenam foret de re sententia sua; decretorium tamen iudicium ferre distulit, ut precibus uberior superni luminis copia impetraretur.

Auspicatissimam vero hodiernam diem, qua tres sapientes Deum puerum, stella duce, adoratum perrexerunt, designavit, atque, salutari Hostia devotissime oblata, ad se acciri iussit Revmos Cardinales Antonium Vico, Episc. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectum, et Caietanum Bisleti, causae Relatorem, una cum R. P. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto e secretis, iisque adstantibus, Pontificio solio assidens solemniter pronunciavit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia,*

Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis Ven. Servae Dei Magdalenae Marchionissae de Canossa, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur. Atque hoc decretum publici iuris fieri, et in acta sacrae Rituum Congregationis referri mandavit, VIII idus Ianuarias anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

IV

DECRETUM

PRAEFIXUM VOLUMINI VII, SEU APPENDICI II (AB ANNO 1912 NUM. 4285 USQUE AD ANNUM 1926 NUM. 4404, CUM SUO INDICE GENERALI) OPERIS CUI TITULUS: « DECRETA AUTHENTICA CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA EIUSQUE AUCTORITATE PROMULGATA ».

URBIS ET ORBIS

Decreta quae in hac secunda Appendice ad Collectionem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis continentur, prouti in eadem Appendice apponuntur, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Apostolica Sua auctoritate approbavit, atque authentica declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Ianuarii anni 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (BERTIER-GIUSTI)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Ioannis Bapt. Giusti, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rota (Roma, via della Dataria, 94) die 24 Martii 1927, hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Ioannis Bapt. Giusti curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

L. ✠ S. U. Mannucci, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 12 Februarii 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Jean Giusti, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 24 Mars 1927 à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les pretres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Jean Giusti devront, dans la mesure du possible l'avertir de la présente citation.

II

VARSAVIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (MURAS-WIELIMBOREK)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Ioannes Wielimborek, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 23 Aprilis 1927, hora 12 ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Ioannes Wielimborek curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. ✠ S. F. Guglielmi, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 14 Februarii 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Jean Wielimborek, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 23 Avril 1927, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Jean Wielimborek devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

COMUNICATO

La « Commissione per la Russia » la cui costituzione venne annunziata nel N. 2 del Bollettino Ufficiale *Acta Apostolicae Sedis*, 1926, rimane ora così composta:

Presidente: Emo Sig. Card. Luigi Sincero, Segretario della Sacra Congregazione « Pro Ecclesia Orientali ».

Relatore: Monsig. Michele D'Herbigny, Vescovo tit. di Ilio.

Membri: Monsig. Isaia Papadopulos, Assessore della Sacra Congregazione « Pro Ecclesia Orientali ».
Monsig. Francesco Borgongini Duca, Segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.
Monsig. Giuseppe Pizzardo, Sostituto della Segreteria di Stato.

Segretario: Monsig. Carlo Margotti, Minutante della Sacra Congregazione « Pro Ecclesia Orientali ».

Consultori: R. P. Gervasio Quenard.
R. P. Cirillo Karalewski.
R. D. Sergio Verighine.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 8 Febbraio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali con i Rmi Prelati Officiali e Consultori teologi, che la compongono, hanno emesso il loro voto sopra il dubbio delle virtù in grado eroico nella causa di beatificazione e canonizzazione del Venerabile Servo di Dio Giovanni Bosco, Sacerdote e Fondatore della Pia Società di S. Francesco di Sales e dell'Istituto delle Figlie di Maria Ausiliatrice.

Martedì, 22 Febbraio 1927, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Serva di Dio Paola Frassinetti, Fondatrice dell'Istituto delle Suore di S. Dorotea, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla stessa Ven. Serva di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Protonotario Apostolico de numero participantium:

3 Febbraio 1927. Monsig. Ettore Castelli (Roma).

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

3 Dicembre 1926. Monsig. Emmanuele Arce y Ochotorena, della diocesi di Pamplona.

17 Gennaio 1927. Monsig. Andrea Proto, dell'archidiocesi di Amalfi.

19 » » Monsig. Agostino Boisleux, della diocesi di Arras.

» » » Monsig. Ferdinando Lejeune, della medesima diocesi.

Prelati domestici di S. S.:

27 Novembre 1926. Monsig. Edoardo de Jesus Vasquez, della diocesi di Cumanà.

3 Dicembre » Monsig. Maurizio Berecoechea y Oscoz, della diocesi di Pamplona.

22 » » Monsig. Enrico Frese, del vicariato apostolico del Capo di Buona Speranza, distretto Orientale.

24 » » Monsig. Giacomo Zaffrani, della diocesi di Como.

» » » Monsig. Tommaso Aragiusto, della diocesi di Tricarico.

10 Gennaio 1927. Monsig. Benvenuto Drago, della diocesi di Casale.

14 » » Monsig. Tommaso Walshe, dell'archidiocesi di Liverpool.

» » » Monsig. Giuseppe Candidori (Roma).

21 » » Monsig. Gaspare Porgio, dell'archidiocesi di Capua.

26 » » Monsig. Giorgio Detzel, della diocesi di Spira.

28 » » Monsig. Emilio Dauzon, dell'archidiocesi di Algeri.

29 » » Monsig. Clemente Wagner, della diocesi di Eichstätt.

» » » Monsig. Ludovico Eisenhofer, della medesima diocesi.

3 » » Monsig. Adriano Hermus, della diocesi di Bois-le-Duc.

9 » » Monsig. Florimondo Regnier, della diocesi di Puy-en-Velay.

» » » Monsig. Carlo Fournier, della medesima diocesi.

17 » » Monsig. Alfonso M. C. Broens, della diocesi di Green-Bay.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

L'Ordine dello Speron d'oro:

15 Luglio 1925. A S. E. il Sig. Stanislao Wojciechowski, Presidente della Repubblica di Polonia.

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

23 Giugno 1925. A S. E. il sig. Mattia Ratai (Polonia).
» » » A S. E. il sig. Adalberto Trampczynski (Polonia).
» » » A S. E. il sig. Ladislao Grabski (Polonia).
« » » A S. E. il sig. conte Alessandro Skrzynski (Polonia).
» » » A S. E. il sig. Stanislao Grabski (Polonia).
» » » A S. E. il sig. dott. Ladislao Skrzynski (Polonia).

La Placca dell'Ordine Piano:

12 Febbraio 1927. Al sig. marchese Luigi Antici Mattei, Esente nella Guardia Nobile Pontificia.

La Commenda dell'Ordine Piano:

17 Febbraio 1927. Al sig. Antonio Cagiano de Azevedo (Roma).
18 » » Al sig. Edoardo De Lima Ramos (Brasile).

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

22 Giugno 1925. Al sig. Andrea Mejer (Polonia).
21 Gennaio 1927. Al sig. Luigi de Avilés (Spagna).
9 Febbraio » Al sig. Ernesto Stahl (Baviera).
» » » Al sig. Augusto Buchner (Baviera).
12 » » Al sig. conte Giuseppe Salimei, Guardia Nobile di S. S.
» » » Al sig. conte Angelo Valentini, Guardia Nobile di S. S.

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

27 Maggio 1926. Al sig. avv. N. U. Giuliano Gozi (Repubblica di S. Marino).
14 Agosto » A S. E. il sig. Barone Kijûrô Shidehara (Giappone).
» » » A S. E. il sig. Ryôhei Okada (Giappone).
» » » A S. E. il sig. principe Fuminaro Konoe (Giappone).
26 Ottobre » Al sig. marchese Riccardo Rey y Boza de Gilés (Perù).

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

9 Febbraio 1927. Al sig. dott. barone Ferdinando Von Moreau (Baviera).

La Commenda con placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

27 maggio 1926. Al sig. conte Angelo Manzoni Berghesi (Repubblica di S. Marino).

14 Agosto » Al sig. Juichi Shimomura (Giappone).

» » » Al sig. conte Tadamasa Sakai (Giappone)

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

15 Luglio 1925. Al sig. Giovanni Teuczyn (Polonia).

» » » Al sig. Giovanni Strzembosz (Polonia).

» » » Al sig. Alessandro Chrzaszczewski (Polonia).

27 Maggio 1926. Al N. U. Manlio Gozi (Repubblica di S. Marino).

» » » Al sig. Marino della Balda (Repubblica di S. Marino).

» » » Al sig. Carlo Balsimelli (Repubblica di S. Marino).

» » » Al sig. dott. Egisto Morri (Repubblica di S. Marino)

» » » Al sig. Francesco Morri (Repubblica di S. Marino).

» » » Al N. U. Federico Gozi (Repubblica di S. Marino).

14 Agosto » Al sig. Gentarô Tanahashi (Giappone).

» » » Al sig. Shinichirô Matsuoka (Giappone).

11 Novembre » Al sig. prof. Ernesto Jac, della diocesi di Angers.

15 » » Al sig. cav. Federico Bernath, dell'archidiocesi di Siracusa.

7 Dicembre » Al sig. prof. Marco Tullio Zanzucchi, dell'archid. di Milano.

15 » » Al sig. cav. Ing. Enrico Rossi, dell'archidiocesi di Bologna.

4 Gennaio » Al sig. prof. Francesco Bernardino Cicala, della dioc. di Lecce.

8 » » Al sig. cav. Giorgio Pirson, della diocesi di Namur.

12 » » Al sig. dott. Fausto Niccolini, dell'archidiocesi di Napoli.

» » » Al sig. dott. Alessandro Cutolo, della medesima archidiocesi.

25 » » Al sig. prof. Leonzio Thilliez, della diocesi di Lilla.

» » » Al sig. prof. Emilio Lenoble, della medesima diocesi.

» » » Al sig. prof. Eugenio Duthoit, della medesima diocesi.

2 Febbraio » Al sig. Carlo Maximiano de Figuereido (Brasile).

17 » » Al sig. Carlo Flory (Francia).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare:

25 Giugno 1925. Al sig. colonn. Bonislao Pieracki (Polonia).

12 Febbraio 1927. Al sig. marchese Luigi Barbi, Cadetto nelle Guardie Nobili Pontificie.

» » » Al sig. conte Ildebrando Silvestri Faà, Cadetto nelle Guardie Nobili Pontificie.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

15 Luglio 1925. Al sig. Taddeo Kozminski (Polonia).
27 Maggio 1926. Al sig. Marco Marcucci (Repubblica di San Marino).
» » » Al sig. dott. Valerio Pasquali (Repubblica di San Marino).
31 » » Al sig. Umberto Terheggen, del Vicariato Apostolico della Gujana Olandese.
14 Agosto 1926. Al sig. Masao Shûzan Hida (Giappone).
» » » Al sig. Chôzô Matsuo (Giappone).
» » » Al sig. Takutarô Hirakushi (Giappone).
30 Novembre » Al sig. Carlo Giannini, della diocesi di Rieti.
8 Gennaio 1927. Al sig. Leone Jeanmart, della diocesi di Namur.
12 » » Al sig. Guglielmo Blaschek, della diocesi di Giavarino.
14 » » Al sig. Abilio Pacheco Teixeira Rebelo de Carvalho, dell'archidiocesi di Braga.
20 » » Al sig. dott. Francesco Maldonado, della diocesi di Tabasco.
29 » » Al sig. Giuseppe Pauly, dell'archidiocesi di Colonia.
4 Febbraio 1927. Al sig. Nicola Riva, dell'archidiocesi di Milano.
9 » » Al sig. Leonzio Riouful, della diocesi di Puy-en-Velay.
10 » » Al sig. Nicola Pietro Young, della diocesi di Brooklyn.
» » » Al sig. Michele Francesco Schickert (Roma).
17 » » Al sig. Giuseppe Duguet (Francia).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare:

23 Giugno 1925. Al sig. Giovanni Horodecki (Polonia).
» » » Al sig. Tommaso Laskiewicz (Polonia).

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

23 Giugno 1925. Al sig. dott. Casimiro Zaczek (Polonia).
15 Luglio » Al sig. dott. Ladislao Studzinski (Polonia).
» » » Al sig. Costantino Lenc (Polonia).
» » » Al sig. generale Mario Zaruski (Polonia).
» » » Al sig. Stanislao Ketrzynski (Polonia).
» » » Al sig. Carlo Bertoni (Polonia).
» » » Al sig. conte Stefano Przezdziecki (Polonia).
» » » Al sig. Gaetano Morawski (Polonia).
» » « Al sig. Giovanni Perlowski (Polonia).
14 Agosto 1926. Al sig. Chinjirô Matsuura (Giappone).
» » » Al sig. conte Nagayoshi Ogasawara (Giappone).
» » » Al sig. conte Yoshimitsu Yanagiwara (Giappone)
» » » Al sig. conte Yorinaga Matsudaira (Giappone).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

15 Luglio 1925. Al sig. Felice Frankowski (Polonia).
» » » Al sig. dott. Stanislao Piekarski (Polonia).
» » » Al sig. Carlo Dawidowski, (Polonia).
» » » Al sig. Ceslao Andrycz (Polonia).
» » » Al sig. conte Stanislao Los (Polonia).
» » » Al sig. Giorgio Tarnowki (Polonia).
14 Agosto 1926. Al sig. Gunshirô Mochizuki (Giappone).

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

25 Giugno 1925. Al sig. Ladislao Paczoski (Polonia).
» » » Al sig. Casimiro Mazanek (Polonia).
25 Dicembre 1926. Al sig. prof. Francesco Ragni, della diocesi di Bitonto.
20 Gennaio 1927. Al sig. Pietro F. Dahll, del vicariato apostolico di Norvegia.
» » » Al sig. Asele Sommerfelt, del medesimo vicariato.
» » » Al sig. Olaf Kolsrud, del medesimo vicariato.
31 » » Al sig. Giovanni Tizzani, della diocesi di Lecce.
1 Febbraio » Al sig. Francesco Besozzi, dell'archidiocesi di Milano.
3 » » Al sig. Giovanni Rings, dell'archidiocesi di Colonia.
9 » » Al sig. archit. Giovanni De Vecchi, dell'archidiocesi di Torino.
14 » » Al sig. prof. Antonio Bottero, della diocesi di Treviso.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

22 Giugno 1925. Al sig. Gabriele Rogozinski (Polonia).
» » » Al sig. Ludovico Krajewski (Polonia).
11 Giugno 1926. Al sig. dott. Carlo Moors, della diocesi di Liegi.
14 Agosto 1926. Al sig. Jûichi Haba (Giappone).
» » » Al sig. Shigeru Watanabe (Giappone).
17 Settembre » Al sig. Luigi Peters, della diocesi di London (Canadà).
15 Ottobre » Al sig. Giuseppe Agostini, del Patriarcato di Venezia.
9 Dicembre » Al sig. Giuseppe Liverzani, della diocesi di Faenza.
4 Gennaio 1927. Al sig. Giuseppe Astengo, della diocesi di Savona.
17 » » Al sig. Giovanni Mistretta, della medesima diocesi.
21 » » Al sig. Carlo Gundersen, del vicariato apostolico di Norvegia.
» » » Al sig. Cristiano Dehli, del medesimo vicariato.
27 » » Al sig. Carlo Pantaleoni, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Al sig. prof. Uberto Caron, della diocesi di Lilla.
» » Al sig. prof. Maurizio D'Halluin, della medesima diocesi.

27 Gennaio 1927. Al sig. prof. Paolo Verschave, della medesima diocesi.
» » » Al sig. prof. Pietro Bayart, della medesima diocesi.
» » » Al sig. prof. Alberto Delerue, della medesima diocesi.
4 Febbraio 1927. Al sig. Raffaele Co, del vicariato apostolico de Haiphong.
9 » » Al sig. Carlo Badberger (Baviera).
18 » » Al sig. Ludovico Filippo Giuseppe Jasmin, dell'archidiocesi di Montréal.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

14 Giugno 1926. Monsig. Tommaso J. Leonard, della diocesi di Brooklyn.
» » » Monsig. Giovanni J. Oppel, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giacomo F. J. Flynn, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni M. Kiely, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tommaso A. Nummey, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe V. S. Mc Clancy, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Gorman, della medesima diocesi.
27 Novembre » Monsig. Giuseppe Watorek, della diocesi di Tarnow.
22 Dicembre » Monsig. Biagio Budelacci, della diocesi di Faenza.
30 » » Monsig. Luigi Faveri, della diocesi di Foligno.
4 Gennaio 1927. Monsig. Antonio Gundermann, della diocesi di Passavia.
7 » » Monsig. Agostino Parodi, della diocesi di Acqui.
10 » » Monsig. Amato Villanueva, della diocesi di Léon.
11 » » Monsig. Salvatore Colavolpe, dell'archidiocesi di Amalfi.
» » » Monsig. Gregorio Apuzzo, della medesima archidiocesi.
12 » » Monsig. Carlo Ghiringhelli, della diocesi di Penne ed Atri.
» » » Monsig. Giulio Barbetta (Roma).
» » » Monsig. Angelo Baradel (Roma).
17 » » Monsig. Adriano Pierazzuoli, dell'archidiocesi di Siena.
21 » » Monsig. Francesco Štěpán, dell'archidiocesi di Olmütz.
» » » Monsig. Francesco Horák, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Guglielmo Plhak, della medesima archidiocesi.
24 » » Monsig. Simeone Palcich, dell'archidiocesi di Zara.
29 » » Monsig. Luigi Zattini, della diocesi di Bertinoro.
4 Febbraio » Monsig. Luigi Allevi, dell'archidiocesi di Camerino.

4 Febbraio 1927. Monsig. Bernardo Davide Assarsson, del Vicariato Apostolico di Svezia.
» » » Monsig. Giorgio Baumgartner, della diocesi di Passavia.
» » » Monsig. Clemente Giuseppe Bachstefel, della medesima diocesi.
5 » » Monsig. Emanuele Habash, del Patriarcato latino di Gerusalemme.
» » » Monsig. Adolfo Perrin, del medesimo Patriarcato.
» » » Monsig. Raffaele Baratta, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Monsig. Mardiros Miguirian, del Patriarcato Armeno di Cilicia.
» » » Monsig. Francesco Brami, della diocesi di Arezzo.
» » » Monsig. Pietro Neri, della medesima diocesi.
7 » » Monsig. Angelo Subrizi (Roma).
14 » » Monsig. Gherardo Miselli, dell'archidiocesi di Modena.
» » » Monsig. Antonio da Pozzo, dell'archidiocesi di Udine.
16 » » Monsig. Silvio Cucinotta, della Prelatura di S. Lucia del Mela.
» » » Monsig. Antonio Méndez, della diocesi di Zamora.
» » » Monsig. Giuseppe Aguilar, della medesima diocesi.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

22 Dicembre 1926. Il sig. Francesco Riccardo Neubauer, della dioc. di Danzica.
5 Gennaio 1927. Il sig. Giovanni Czarnowski, dell'archidiocesi di Varsavia.
17 » » Il sig. conte Ulderico de Spee, dell'archidiocesi di Colonia.
16 Febbraio » Il sig. Dom Antonio Maria de Noronha, del Patriarcato di Lisbona.
» » » Il sig. comm. Nicolò de Gutmansthal-Benvenuti, della diocesi di Lubiana.
21 » » Il sig. Carlo Stoner Lusk, dell'archidiocesi di Filadelfia.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

17 Dicembre 1926. Monsig. Basilio Mingardo, della diocesi di Padova.
4 Gennaio 1927. Monsig. Ferdinando Schustetter, della diocesi di Passavia.
5 » » Monsig. Bartolomeo Comenale, dell'Abbazia della Ssma Trinità di Cava.
10 » » Monsig. Francesco Vitek, della diocesi di Hradec Kralové.
» » » Monsig. Otocaro Richter, della medesima diocesi.
14 » » Monsig. Raffaele Salucci, della diocesi dei Marsi.
18 » » Monsig. Filippo O'Doherty, della diocesi di Derry.
» » » Monsig. Mariano Vincenzo Cafaro, della diocesi di Pozzuoli.
21 » » Monsig. Giuseppe Ollmann, dell'archidiocesi di Olmütz.
» » » Monsig. Massimiliano Lubojacký, della medesima archidioc.

21 Gennaio 1927. Monsig. Alfonso Pryč, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Rodolfo Nejezchleba, della medesima archidiocesi.
26 » » Monsig. Giovanni M. Brotto Bertoncello, della diocesi di Padova.
5 Febbraio » Monsig. Guglielmo Dewald, dell'Amministrazione Apostolica di Timisoara.
» » » Monsig. Giovanni Mayer, della medesima Ammin. Apost.
» » » Monsig. Federico Siebig, della medesima Ammin. Apost.
» » » Monsig. Francesco Magnanini, della diocesi di Arezzo.
» » » Monsig. Giuseppe Basagni, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Renato Fontenelle, della diocesi di Cambrai.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

14 Gennaio 1927. Il sig. Giovanni Battista Carrara (Roma).
17 Febbraio » Il sig. comm. Giuseppe Bultrini (Roma).

Cappellani Segreti d'onore di S. S.:

19 Gennaio 1927. Monsig. Raffaele Manari (Roma).
5 Febbraio » Monsig. Amedeo Cantagalli, dell'archidiocesi di Bologna.

Cappellano d'onore extra Urbem *di S. S.:*

17 Febbraio 1927. Monsig. Emilio Morselli, dell'archidiocesi di Modena.

Cappellani Comuni Pont. Soprannumerari di S. S.:

5 Febbraio 1927. Monsig. Romolo Pantanetti.
» » » Monsig. Antonino Lo Casto.
» » » Monsig. Cesare Fabrizi.

NECROLOGIO

19 Giugno 1926. Monsig. Raimondo de la Porte, Vescovo tit. di Berissa.
15 Ottobre » Monsig. Giov. Batt. Neudecker, Vescovo tit. di Elenopoli.
21 Dicembre » Monsig. Francesco Isola, Vescovo tit. di Adrianopoli.
5 Gennaio 1927. Monsig. Nicasio Arellano, Vescovo tit. di Cucuso.
29 » » Monsig. Antonio Alves Ferreira, Vescovo di Vizeu.
11 Febbraio » Monsig. Stanislao Casimiro Zdzitowiecki, Vescovo di Vladislavia.
16 » » Emo Sig. Card. AMEDEO RANUZZI DE BIANCHI, del Titolo di S. Prisca.
22 » » Monsig. Enrico Jöppen, Vescovo tit. di Cisamo.

Per la Settimana Santa:

OFFICIUM MAIORIS HEBDOMADAE et Octavae Paschae a Dominica in Palmis usque ad Sabbatum in Albis, *cum cantu.* Iuxta ordinem Breviarii, Missalis et Pontificalis romani. ***Editio typica Vaticana,*** in-8°, nitidis characteribus nigris impressa, initiis paginarum affabre descriptis ornata, pp. VIII-640-30. *

Charta subtili non translucida.
In brochure.

Romae	L. 15 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 17 —
Apud Exteros	» 19,60

Linteo anglico contectum, sectione foliorum rubra.

Romae	L. 21,50
In Italia, vecturae pretio soluto	» 24 —
Apud Exteros	» 26,50

Linteo anglico contectum, sectione foliorum aurea.

Romae	L. 22,50
In Italia, vecturae pretio soluto	» 25 —
Apud Exteros	» 27,50

— ***Editio typica Vaticana,*** in-8°, nitidis characteribus nigris impressa, initiis paginarum affabre descriptis ornata, pp. VIII-640-30. *

Charta indica. In brochure.

Romae	L. 20 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 21,80
Apud Exteros	» 23,60

Linteo anglico contectum, sectione foliorum rubra.

Romae	L. 26,50
In Italia, vecturae pretio soluto	» 28,30
Apud Exteros	» 30 —

Corio contectum, sectione foliorum aurea.

Romae	L. 35 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 37 —
Apud Exteros	» 40 —

Missa in Dominica Palmarum *cum cantu.* Accedunt Hora Tertia, Aspersio aquae benedictae et Benedictio Palmarum. Excerptum ex **Officio Maioris Hebdomadae.** ***Editio typica Vaticana,*** pp. 64.

Charta subtili non translucida.
In brochure.

Romae	L. 3,50
In Italia, vecturae pretio soluto	» 4,30
Apud Exteros	» 5,10

Linteo anglico contectum, sectione foliorum rubra.

Romae	L. 8 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 8,80
Apud Exteros	» 9,60

Linteo anglico contectum, sectione foliorum aurea.

Romae	L. 9 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 9,80
Apud Exteros	» 10,60

In Triduo Sacro Maioris Hebdomadae. Officium et Missa *cum cantu,* excerptum ex **Officio Maioris Hebdomadae.** ***Editio typica Vaticana,*** pp. IV-240.

Charta subtili non translucida.
In brochure.

Romae	L. 8 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 9 —
Apud Exteros	» 10,80

Linteo anglico contectum, sectione foliorum rubra.

Romae	L. 13 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 14 —
Apud Exteros	» 15,80

Linteo anglico contectum, sectione foliorum aurea.

Romae	L. 14 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 15 —
Apud Exteros	» 16,80

CANTUS PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem, Ssmi D. N. Benedicti XV Pontificis Maximi iussu restitutus et editus, ex editione authentica excerptus.

FASCICULUS I. – **Chronista.** *Cantus Evangelii ad libitum.*
FASCICULUS II. – **Christus.**
FASCICULUS III. – **Synagoga.**

Editio in fol. min. (23×33), in charta manufacta et charactere rubro et nigro, in tres fasciculos divisa.

Romae	L. 15 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 17 —
Apud Exteros	» 19 —

— Tres fasciculi, *linteo anglico nigro seiunctim contecti, titulo aureo.*

Romae	L. 50 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 55 —
Apud Exteros	» 60 —

Editio in-8° min., fol. 96, cum incisis imaginibus nigris.

Romae	L. 3,50
In Italia, vecturae pretio soluto	» 4,50
Apud Exteros	» 5 —

— *Contectum partim pelle nigra partim linteo, sectione foliorum rubra.*

Romae	L. 10 —
In Italia, vecturae pretio soluto	» 11,50
Apud Exteros	» 13 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).

ANNUARIO PONTIFICIO per l'anno 1927

Volume in-12°, di pp. 956, adorno di un artistico ritratto di Sua Santità Pio XI. – Legato in tela rossa, con titolo in oro e stemma sul piano.

Prezzo per ogni copia:

In Roma L. **25** — In Italia, franco di posta L. **28** — Per l'Estero L. **35** —

BIBLIA SACRA, iuxta latinam vulgatam versionem ad codicum fidem, iussu Pii Pp. XI, cura et studio Monachorum Sancti Benedicti, Commissionis Pontificiae a Pio Pp. X institutae sodalium, praeside Aidano Gasquet S. R. E. Cardinale, edita. – **Librum Genesis,** ex interpretatione Sancti Hieronymi, cum prologis variisque capitulorum seriebus, adiectis prolegomenis, recensuit D. Henricus Quentin, Monachus Solesmensis. - Un volume in-8° di pp. XLVIII-427, stampato su carta a mano macchina.

Prezzo (porto compreso) . . . . . L. **200** —

Il volume si vende rilegato ai prezzi seguenti:

a) Dorso ed angoli in pelle nera, titolo in oro . . . . . » **220** —

b) Dorso pergamena bianca con dorature, angoli di pergamena, titolo in oro (rilegatura romana) . . . . . » **225** —

c) La medesima rilegatura romana in tutta pergamena, dorso dorato e titolo in oro . . . . . » **253** —

(*Questi prezzi sono provvisori e potranno essere modificati secondo le circostanze*).

IN FESTO S. PETRI CANISII, Confessoris et Ecclesiae Doctoris (die 27 aprilis).

MISSA. In folio, pp. 2, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 (gr. 5)

In Roma L. **0,60** In Italia, franco di posta L. **0,70** Per l'Estero L. **1,10**

MISSA. In-4° piccolo, caratteri neri e rubriche in corsivo, *carta comune* (gr. —) (15×24).

In Roma L. **0,50** In Italia, franco di posta L. **0,60** Per l'Estero L. **1** —

OFFICIUM. In-16°, caratteri rosso-neri, carta indiana, pp. 8.

In Roma L. **0,80** In Italia, franco di posta L. **0,90** Per l'Estero L. **1,30**

CODICIS IURIS CANONICI FONTES, cura Emi Petri Card. Gasparri editi.

— Volumen I. **Concilia generalia - Romani Pontifices,** usque ad annum 1745 (n. 1-364). In-8°, pp. XVI-954, charta manufacta (gr. 1600). Impressio altera.

Romae L. **65** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **68,50** Apud Exteros L. **77** —

— Volumen II. **Romani Pontifices,** ab anno 1746 ad annum 1885 (n. 365-544). In-8°, pp. XII-1012, charta manufacta (*sub prelo*).

— Volumen III. **Romani Pontifices,** ab anno 1867 ad annum 1917 (n. 545-713). In-8°, pp. XII-870, charta manufacta (gr. 1350).

Romae L. **50** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **53** — Apud Exteros L. **55** —

— Volumen IV. **Curia Romana,** S. C. S. Off. - S. C. Ep. et Reg. (n. 714-2055). In-8°, pp. XXXII-1117, charta manufacta (gr. 1790).

Romae L. **85** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **88,50** Apud Exteros L. **97** —

L'EUCARISTIA MEDITATA o GESÙ MIO AMORE E MIA VITA. Meditazioni per prepararsi alla S. Comunione seguite da ringraziamenti (Traduzione dal francese). 9ª edizione migliorata. - 1927. Un vol. in-18°, pp. XII-534 (gr. 180).

In Roma L. **5** — In Italia, franco di posta L. **5,40** Per l'Estero L. **5,60**

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).